

Q. D. B. V.

# JVONIAS,

PRÆSIDE

CONRADO SAMUELE  
SCHURTZFLEISCH,

*publicè consideratus*  
à

JOHANNE HAUBOLDO  
KIRCHBACH,

*In Auditorio Majori, 15. Maj.*

WITTEBERGÆ,

Formis WENDIANIS excud. DANIEL Schmaß Acad. Typ.  
ANNO CLC IOC LXXII. V

Л А С 2

ЛОНГАС

EXXVII 304  
GONRADO SAMUELLE  
SCHEISSERECHE

JOHANNES HUGOLDO

KIRCHENKOH

1570

1570

GOTTFRIED VON HORNIGE  
1570

1570


 Vanquam institueram referre de  
 Moldavorum\* rebus universè.  
 jamq; materia creverat sub ma-  
 nu; tamen recessi ab instituto,  
 quòd crederem, opportunius fore, si partem  
 mihi feligerem illius historiæ, in qua sigilla-  
 tum bello enituit strenuus, idemq; varii in-  
 genii bellator JVONIAS.

\* Horum, sive ut vocantur, Valachorum ori-  
 gines sollicitè eruit Jo. Leunclavius Pand. Hist.  
 Turc. p.146. eaq; studii parte vincit Episcopum Nu-  
 cerinum P. Jovium, & Sebastianum Munsterum.  
 Adjungi possunt Aeneas Sylvius, Antonius Bonfi-  
 nius rer. Ung. l. i. decad. i. qui Moldavos, quasi  
 molles Davos, id est, Dacos censet appellatos: item  
 Martinus Cromerus rer. Pol. l. XII. p. 216. De G.  
 Hornio miror, quòd, dū excuteret origines Valacho-  
 rum, non excusserit unà authores fide insigniores:  
 Hist. Imp. p.340. Sed is dum incertos secutus duces  
 est, deflexit in lubrica fabularum. Quod alioqui  
 pertinet ad Moldaviam majorem & minorem, vid.  
 exquisitæ eruditionis Vir Jo. Christoph. Bezmanus

Hist. Geog. p. 136. 137. Ad Montaninam ac Transalpinam, præter accuratiōes terra mensores, nominabo autores Bonfinium, & Gorecium. Si quid insuper inter Moldavos Valachosq; discriminis est, non deerit Cromerus. Caterūm hodierna consuetudine etiam Mœsorum nomine veniunt. Thuanus Hist. l. XVII. A. 1556. olim pro parte Getarum habitos fuisse, opinatur Bonfinius. Alii veteribus Dacis vindicant.

2. De sorte nascendi non suppetunt multa: nec facile scio, consilio id Principis, an negligentiae scriptorum tribuam. Mihi sufficit, extare in eo vestigia Moldavicæ stirpis,\* unde jam olim & viri insignes, & Dukes bellorum usu periti adoleverunt.

\* Quod stirpis interest, certos de eā nos redundunt scriptores rerum Moldavicarum, atq; ex his omnium evidentissimè Leonhardus Gorecius, Eques Polonus, literis æquè ac armis clarus, in bell. Jvon. p. 24. is tradit, ex antiquis Valachia regulis ortum esse. Thuanus nescio quo autore nixus scribit, ipsummet Jvoniam dicitasse se notum Stephani Valachorum Palatini. Quod patriam spectat & nativitatis locum, res valde ambigua est, eamq; litem nunc non attinet expedire. Sunt, qui in Polonia natum putent: reperiuntur etiam, qui in Masovia editum credant in lucem. Vid. Gorecius,

recius, & post eum Thuanus H. l. LIX. Causas enim  
habeo, cur scriptores fermè domesticos inspici an-  
te exterorū velim, præsertim, quādibi illis sua fe-  
rant acceptas.

3. Noscitur factis suis noster, \* & quod  
fortè imaginibus deest, id omne supplevit  
vigor militaris.

\* Vulgo nominant Johannem Valachum,  
nec absurdè, & lingua Moldavorum convenienter.  
Alius adeò est à Jacobo Valacho, cuius meminit  
Thuanus H. l. XXIX. ad A. 1561. Noster enim si  
ab insigniori eventu astimetur, memoratur ad A.  
1574. David Chytraus hic turbat nonnihil seriem  
Moldaviae regulorum, in Valach. p. mib. 31. Iponiæ  
res gestas composuerunt ex professo Bartholomæus  
Paprocius, ab industria nobis commendatisimus,  
& qui hunc sequitur prædictus Leonhardus Gore-  
cius, fide & diligentia illi proximus. Præterq; bunc  
Johannes Lascius in his t. ingress. Pol. in Valach.

4. Animus gloriæ avidus fuit, corpus  
statura eximum, vultus decore virili gravis,  
membra innato robore firma memorantur: \*  
cætera ad militarem habitum comparata,  
manu & armis promptum indicarunt.

\* Supplendus hic ex Gorecio Thuanus est,  
qui ingenium descripsisse contentus, de corpore vi-

vibusq; filet. Ille vere sigillatim persequitur utrumque, Vegetii memor, qui & ingenium, & vires in milite pensitandas, autor est: de re militari l. 1. c. 2. & c. 6. Hodieq; Turcae insitunt huic præcepto, qui dum legunt prætorianos, corporis vel maximam rationem habent, ut prodidit Ricantius. De veteribus Scythis id notius est, quam ut dici egeat.

§. Priusquam verò ad justi maturiq; Ducis famam contenderet, sive mora, sive ratione altiores impetus sedavit, animumq; applicavit ad mercaturam.. \* His rebus & aditum habuit ad proceres Sultani insigniores, & ingenia eorum penitus exploravit, & consilia spectavit ex propinquuo. Donec speciosis artibus se insinuaret in Selymi \*\* Turcarum Imperatoris familiaritatem, ac mox sui dissimilis, ex mercatore evaderet regulus \*\*\* Valachorum..

\* Olim apud Romanos Sarmatasq; ab aratro acciti, qui gererent summos magistratus. Nunc mirà conversione apud Valachos evocantur ex taberna institorum, qui regulorum obeant munus. Neq; id prorsus insolens putabimus, qui sciamus, extitisse negotiatores apud Belgas, à commerciis maritimis subductos ad clavum navalis rei.

\*\* Qui

\*\* Qui calculum ponunt, facile obſervant, ſely-  
mum II. fuſſe, capta Cypro, & pratiſ in Jonio-  
mari commiſſis celebratum, quo vid. Petrus Pi-  
zarrus de bell. Cyp. Leunclavius, Thuanus, aliiq.

\*\*\* Regulus, ſcribo: haud enim facile eſt aſſe-  
qui, an, prout uſus legem facit, recte ſcribatur Pa-  
latinus, ſive quod ſignificatione reſpondet, Vai-  
voda. Namq; compertum eſt, Græcorum emula-  
tione deſpotas dici maluſſe, quam Vairvodas. Forte  
ut indicium eſſet, dominatus nulla parendi lege ad-  
ſtriecti, quem vulgo abſolutum vocant. Eo vid.  
Leunclav. pand. Turc. cap. 71. & ex eo Zach. Theo-  
baldus bell. Huſſ. ad A. 1442. Hodie ruder a quædam  
affectati nominis conſervant, titulo Hoſpodar ap-  
pellati, imagine ſaltem ampliſſimæ dignitatis, ju-  
bendi verò decernendiq; poteſtate adempta. Cujus  
tam foedæ ſervitutis, in quam deſpotæ iſti redacti  
ſunt, indignationem nec ſub hoc tempore diſsimula-  
re potuit Hinkel, anciptis inter fidem & rebellio-  
nem animi deſpotæ, in tantum coſmotus, ut ant-  
biat Viesnovicii patrocinium, poſtliminiò, ſi per  
fortunam & vires licere, in veterem clientelam  
rediturus, ejerato obſequio Turcarum. Quod ſi  
impleri eventu poſſet, plurimum proſiceret Chri-  
ſtianorum rebus, maximè Polonorum. Idq; partim  
ob premendos ex propinquuo Turcas, & alendos in  
boſtico exercitus, partim ob transitum eorum per

Danu-

*Danubii pontes impediendum. Et forte in ipsa  
Græcia non essent tuti, si Valachiam concordibus  
studiis recuperaremus.*

6. Sed non quanta crescendi felicitas,  
tanta succedendi justitia fuit. Namq; omne  
præsidium habuit in calliditate, & quod præ-  
cipue dixerim , in opportunitate rerum ,  
quæcum sciret, Selymum\* nullas, neq; iniquis-  
simas comparandæ pecuniæ rationes asper-  
nari, quò haberet, unde reficeret classem, &  
stipendia persolveret suis. Itaque occasione  
usus, præfectos pecunia, Sultanum officiis &  
largitionibus sibi devinxit, arbitratus, hanc  
unam esse expeditam ad dominatum viam.  
Neq; illa opinio Jvoniam fecellit, vel maximè  
ideò, quod Selymi animus jamdiu antè mul-  
tis offensionibus à Bogdano \*\* antecessore  
alienatus esset: tūm quòd perspectum habe-  
ret, non innocentia , sed muneribus parari  
amicitiam Turcarum.

\* *Avaritia Selymi exploratisima est: Gorec.  
bell. Jvon. p.28. Cujus cum cepisset oblivio Jvo-  
niam, ingens malum sibi accersivit, excandefacto  
Selymo ob legatos sine munib[us] dimisso, Id. p.46.  
Quanquam enim id ipsi, dum se pro libero gerebat,*  
*consen-*

confensione gentium licebat jure legationis militaris, tamen hic prudentiae legi aliquid dandum fuerat, præsertim quod ipsi res esset cum potentiori hoste. At hac fata hominum sunt, cum sui obliviscuntur, proxime ab exitio absunt.

\*\* Bogdanus Alexandri Valachorum Palatinī filius, Princeps nullius culpa scelerisq; conscientia, ab animo minimè illiberali celebratur, quem & invidia popularium, & ambitio Fvoniæ dejeerunt, cetera innoxium. Prima mali causa fuit, quod Polonus magis comiter haberet, ac Valachos suos. Propterea hi irritati, ut olim Macedones adversus Alexandrum, artes repererunt, quibus opprimeretur, velut omnis comitatis domesticæ oblitus. Creverunt inde odia, jamq; universi insurgere coepерant. Selymus studium in Polonus pro consilio rebellionis habuit, in primis, quod se inscio in consilio, fœdus iniisset cum Polonorum Rege, Fvoniæ auxit suspicione, & sumpta obtrectandi ansa exaggeravit nefas, inde quid ex occasione agendum esset, observaravit. Nec defuit consilio prosperior exitus, Bogdano in Russiam profecto. Autor belli Fvoniæ p. 19. 20. 21. & seq. Attendite animum, Principes. Tribuite aliquid amicitiae exterorum, sed preferte indigenas, & date his locum, quem dedit conditio nascendi & virtus. Asciscite Germani Germanos, & suos quisq; fovete: nullum

certius vobis fidei vinculum, nullum tutius munimentum erit. Huc vid. anonymous Gallus de regn. ed. A. 1577. theorem. 3. Simul & prudenter agite cum civibus, quorum novissimis obsequium anceps & studia diversa. Erit vobis exemplo Bogdanus, cuius absentia extitit potissima causa amittendi Valachie Palatinatus. Erit novissime Carolus I. Angliae Rex, qui si Tiberium imitatus, non deserueriset Londinum, Principem regni sedem, & caput Britannicarum rerum, felicius electari potuisset ex funestissimis turbis. Quod argumentum eleganter persequitur In Hof. Historiam condidit Bateus in Elench. mot. Anglic.

7. Hinc à calliditate ad fraudes, \* à fraudibus ad impietatem solà dominandi libidine abreptus est. Bogdano, ut modo traditum, intime Sultani odium excitavit, ac ne quid injuriæ deesset, audacissimè affirmavit, partibus hostium studere. Nec satis id nostro ad promerendam Turcæ gratiam erat. Etiam tanti dominatus spes religionis \*\* dispendio constabat.

\* Non jure, sed fupo & fallaciis obtinuit Palatinatum Iovias. Atq; id quidem de jure successoris expeditum est. Tametsi enim ejus origo referatur ad ultimos Valachorum regulos, nunc tam

men

men nullum hujus momentum erat, quod jam dum  
Fvonie majores jure atq; possessione Palati-  
natus excidissent. Si questio sit, an jure excide-  
rint, cogitandum, veteres controversias partium  
patientia & temporis diuturnitate sopitas non esse  
denuo excitandas. Alb. Gentilis de Fur. bell. lib. I.  
cap. 22. Si potestas Sultani, sive ut Domini bene-  
ficiarii, sive ut Domini clientela obtendatur, & qua  
inde porro quasi ex scaturagine dimanat, libera  
electio exaggeretur, iterum disceptatio erit, legi-  
tima electio fuerit, nec ne? Et utrum non peracta  
sit contra instituta Valachorum, quod quidem col-  
ligere est ex iis, qua Jo. Leunclavius habet supple-  
ment. Ann. Turc. p. 73. Accedit, quod Principes,  
quum semel inauguaverint sibi beneficiaria lege  
obnoxios, citra injuriam eos non possint à parte  
jure dimovere, si nil admiserint beneficiarii ac  
clientium fide devincti, propter quod dimoveantur.  
At quid admiserat Bogdanus? Suspiciones collige-  
bantur; sed has diluere paratus erat: crimin-  
tiones adferebantur, sed & has refellere, in animo  
babebat. Verumenimverò non audiebatur Bog-  
danus, sed indicta causa, & quidem absens move-  
batur loco: quicquid etiam hujus sit, nulla dubita-  
tio est, Fvoniam fraude & dolo impetrasse Palati-  
natus dignitatem. Historia repetatur ex scriptore  
belli Fvonie: Judicium civile addatur quasi con-  
dimentum.

\*\* Initio Græcorum sacris initiatum fuisse,  
colligamus licet ex religione Valachorum, quæ co-  
litur ritu Græco, de qua annotarunt Cromerus rer.  
Pol. l. 12. p. 216. & Edoardus Brerewood. scrut.  
relig. cap. 6. p. mib. 138. Autor bell. Ivon. ex  
bac causa animum ejus velut impietate efferat-  
um notat. Nempe adeò præceps turbidusq; domi-  
nandi affectus est, ut, quos lacescit, aut corrumpat  
incertos, aut non obnitentes subvertat. Quanto  
meliùs olim sentiebant Romani, apud quos religio  
publica privatis affectibus antecellebat, Florus  
Hist. Rom. l. 1. cap. 13. Ceteroquin imitantur Ivo-  
niām hodierni Cosaci, presertim qui sunt partium  
Doroszenki, quibus religio saepe numerò ludus est,  
nisi forte instrumentum est ditecendi ac virium  
augendarum. Ipse Doroszenkūs Græcorum reli-  
gioxi initiatus, quam non pronis nuper fuit flecti  
in barbaræ gentis sacrum! De Cosacorum moti-  
bus horumq; causis nil addo: alienum enim hoc loco  
est, & jamdudum id executus luculenter est Pau-  
lus Piascius.

8. Non audebat obsistere Bogdanus, per-  
fidia barbarorum circumventus, & hosti  
adeò animisq; iibusq; vigenti impar. Ergo  
adsciscitur Ionias, \* & muneri, quod Bog-  
danus gesserat, imponitur, ac inter festas  
Valacho-

Valachorum Turcarumq; acclamations renunciatur Valachiæ Palatinus. Sed ut vehemens inquietumq; Jvoniæ ingenium erat, non multò post in gravissimas incidit calamitates, ac parvo temporis momento res maximas, principatum juxta & vitam amisit. \*\* Eousq; humana consilia nec opinantes frustrantur, & mille sœpe casibus contra, quam destinamus, involvuntur.

\* Scriptor belli Jvon. p. 25. memorat, Jvoniā prolixo Turcarum comitatu in Valachiam venisse, ac ut Bogdanum ingeniosè deciperet, habitu mercatoris incessisse, wafrogj consilio consilium occupandi Palatinatus texisse. Quod satis felici eventu comprobatum, adactis in Verba Jvoniæ Valachis, & haud dubie, ut gens illa facile affectibus rapitur, novum regulum cum plausu atq; gratulatione excipientibus: quod vebemantisimè odisserit Bogdanum, ac prospera atq; felicia cuncta sperarent sub recens creato Palatino. Nec facile quis negaverit, Turcas simili incitatos exemplo, altis, ut solent, vocibus, si grata sibi atque utilia e venerint, faustæ ominatos esse: hoc magis, quod liberalitate & vita quodam Turcis consentiente decoro plurimum gratiae atq; existimationis apud eos adeptus fuisset noster.

\*\* De hoc exitu recensebimus infra.

9. Sed metu solutus erat Jvonias, quippe  
Sultani gratia, & popularium studiis sub-  
nixus. At cum ita existimaret, mox spe de-  
ceptum se sensit, & Sultani, ad quem tradendi  
Palatinatus jura atq; auspicia pertinebant,  
insidias dolosq; intellexit. Mittebat is lega-  
tum, qui aut posceret tributum plus duplo  
auctum, \* aut denunciaret, principatu ab-  
eundum esse, & alii, qui pendere imperatum  
vestigal vellet, faciendum succedendi lo-  
cum. Jvonias pristinæ sortis beneficiique  
accepti immemor, postulati indignitatem  
ostendit suis, & recuperandæ libertatis stu-  
dium offert. Assentiuntur Valachi, & pro-  
positum Jvoniae laudant, ac in pleno senatu  
pro eo suffragia ferunt, rati, hoc auspicatum  
tempus esse, quo avaritiæ atq; libidini Turca-  
rum eripiantur. Sic legatus repulsam pas-  
sus, à gente pertinacissima, atq; exitii sui  
ignara discessit, renunciaturus Sultano, Va-  
lachos autore Jvonia moliri res novas.

\* Duplam pensionem commemorat Thuanus  
ad An. 1574. Addit huic numero aliquid scriptor  
belli Jvon. p. 28, 29. & 31. ac tributum duplo majus  
exegisse Selymum scribit, cuius autoritati nunc  
stamus.

stamus. Quanquam pauci ipsius meminerunt, nec  
ille, qui novissime de historicis Latinis spicilegium  
edidit, Johannes Hallerwoldus. Allegat Zeillerus  
eius Historiam Valachicam, Basilea A. 1578. vul-  
gatam: sed quod recordari liceat, illa hactenus  
non occurrit: occurrit autem Francofurtensis ad  
dictum annum 1578. ex officin. VVechelian. Neg-  
vero hic pratermittendum duxerim manifesta ut-  
tionis exemplum. Primo Ieronias Bogdano, mox  
Ieronia regulus Valachiae Transalpinæ insidias  
struxit, script. bell. Ieron. p. 27. 28. Nempe inter-  
dum punto temporis intercidit, cuius fructum  
diuturnum sperabamus. Sed ita provisum certa  
Dei lege est, ut fraudes fraudibus vindicentur, &  
quibus quoq; modis parantur, iis ipsa vicissim  
amittantur. Tum ab emulo calumniis petebatur  
Ieronias, ut iram Selymi accenderet magis. Hocq;  
dum agebatur, iterum par pari reddebatur. Ad  
hac referebatur de astu ejus, & cogitata ad Sar-  
matas defectione, ut primum ipsi data facultas  
foret. Praeterea ejus inconstancia, & iniquitas, &  
persidia allegabantur, atq; hoc tanto enixius, quod  
rediisset ad pristina Christianorum sacra. Scilicet  
erant fallendi artes nostro, quibus elaberebatur, si  
persolveret tributum duplo majus, si donis hono-  
raret Selymum, si conciliaret purpuratos, si comi-  
ter haberet legatos, si memor clientela obsequium  
pertin-

pertinaciæ, si pacem bello præferret, si denigreti-  
neret Mahomedis ritus. Sed nulla jam negl. solertia,  
nec fraudes valebant; ambitio omne salutare con-  
filiū avertit, ipsumq; in rebellandi studio confir-  
mavit, unde & Dei ultioris ira, quod in antecesso-  
rem peccasset, & benignitas appareret, quod in hac  
conversione fortunæ nuncium misisset cultui Ma-  
homedis, cui se paulo ante addixerat, ut Selymi  
gratiam captaret. Atqui fermè hic laudo Selymum,  
quanquam alias barbarum, tamen in judicando  
consideratum. Namq; multo melius pronunciabat  
in causa Jvonia, quam Bogdani: quandoquidem  
tot calumniis lacesito, fidem patrocinii sui dabat,  
si faceret officium clientis, & penderet vœdigal.  
Verba Selymi, quæ per interpretem indicari Jvo-  
nia jussérat, litteris mandavit Leonhardus Gorecius,  
Hist. Valach. p. 29. Formula hæc fuit. Selymus  
memor constantiæ, virtutis, fidei tuæ, non vult  
tibi in imperio (beneficii ac clientelæ lege de-  
vincit) Valachia molestus, si id tributum quam-  
primum mittes, esse. Verumenim verò ut quis-  
que agit, ita sortitur exitum, ambitiosi ruunt,  
moderati conservantur. Adeò verum est, quod pro-  
didit Polybius, scriptor prudentia & judicio maxi-  
mus l. VI. Hist. Fortunam s̄aþe, dum adhuc vigeat,  
prosperiorq; futura censeatur, contrarias vel mo-  
mento vices experiri...

10. Hoc

10. Hoc rerum statu Selymus, quomodo I<sup>o</sup>nia<sup>e</sup>  
factionem oppimeret, velut ira pudoreq; excitatus  
assiduè cogitabat. Cumq; suo ductu experiri nolle<sup>t</sup>  
\* bello, regulum Valachia<sup>e</sup> Transalpinæ \*\* in vin-  
dictam I<sup>o</sup>nia<sup>e</sup> excivit, eiq; conficiendæ hujus rei  
curam mandavit, ipse arma, vires, auxilia, & qui-  
quid in tempore paratum promptumq; habebat, sup-  
peditavit. \*\*\* Nec vanum Selymi consilium fuit, nec  
citra vincendi omen. Nam & Transalpino opportu-  
nior ad invadendū hostem aditus erat, & itinerum,  
quibus falleret, rationes exactè tenebat, & propter  
vetus I<sup>o</sup>nia<sup>e</sup> odium impatiens moræ, eoque cupi-  
dissimus ultionis videbatur.

\* Fortè quis existimet, Selymum ob varias rerum  
difficultates Transalpinum Valachum Turcicis copiis  
cum summo Imperio præfecisse. At verò is se servabat  
gloriosori hosti, & I<sup>o</sup>niam in tantum despiciebat, ut  
nolle<sup>t</sup> in rebelli obsolescere gloriam suam: Idq; partim  
propter alios Principes, partim propter opinionem, qua  
ipsi res magna constabant, apud Turcas retinendam.  
Et quam securus fuerit Selymus, vel ex eo intelligamq;  
quod Transalpino præcepisset, captivum duceret I<sup>o</sup>niam,  
Moldaviamq; Petro Fratri auspicio suo regen-  
dam traderet. Script. bell. I<sup>o</sup>n. p. 46. Sed brevi-  
illum pœnituit tantæ fiducia, ut metus quoq; enim inces-  
seret Valachia<sup>e</sup>, Graciæq; amittendæ. Id p. 61. quod docu-  
mento est, prudentes attentosq; principes nil hostile in-  
fracuras suas ducere oportere. Multum enim sibi vin-  
dicat

dicat in rebus humanis fortuna, Et securitas saepe iis  
ausert, quod tempestiva industria presenti g. milites ser-  
vaturi erant: sunt sane plurima exempla, qua offendit,  
ab exiguis initiis maxima pericula creuisse.  
\* Nec infestiorum Iuvoniae hostem optare Selymus, nec  
acriorem reperire potuisset. De causa belli tradere,  
non est arduum, si, ut res gestae sunt, recte teneamus.  
Quippe Selymi arma justa erant atq; necessaria ad ho-  
noris jurisq; supremi Imperii nomine competentis de-  
fensionem. Reguli enim Valachorum, judice Leuncla-  
vio, non multum distant a veterib; praesidibus provin-  
ciarum, praterquam quod ordinariè continentur, ac  
transcant ad hæredes, si infide & gratia Sultani per-  
severent. Ac quum hoc forte non respondeat in solidum  
praefecture Valachorum, satis tamen est, sacramento  
adactum fregisse fidem, & degenerasse ab officio be-  
neficiaris civis, & nulla veterum meritorum conscien-  
tia repudiasset legatos Imperatoris atq; Domini sui, cui  
ex causa afferioris tributinon continuò esset move-  
dum bellum. Cogitare debuisset, Palatinat; Valachicos  
Imperio herili subditos libertatem dudum amissam spe-  
rare quidem, sed jure repetere non posse. Atq; id ante  
oculos sibi ponunt Principes Transylvanorum, dum in-  
ter minas metumq; Sultani agunt. Triste hic est recor-  
dari Georgii Ragotzi, Keméry janos, infelicum Trans-  
sylvaniae Principum, qui pro natu a Turcis dejecti  
sunt, reliqua tamen ordinibus specie quadam electionis,  
ac privilegiis nonnullis, sibi autem confirmandi jure

atq; exaudiorandi potestate reservata, si Princeps  
quid agat moliatur ve contra beneficiarum jusjurandum. Huc conf. Dacia Job. Trosteri Transylvani.

\*\* Numerus fuit septuaginta millium Valachorum  
Transalpinorum, & triginta millium Turcarum, duorum  
millium Hungarorum. Script. bell. Jov. p. 46. 48. præcipue 78. ex responso speculatorum ab  
Ivonia interceptorum.

\*\*\* Vera odii causa, quod Petrum fratrem suum  
comuni eorum vitio, qui nimis necessitudinibus indul-  
gent, e verso Ivonia ad dignitatē Palatinatus evectum  
cuperet. Vid. script. bell. Jov. p. 46. ubi legas, consilio  
Palatini Valachia & ulterioris respondisse eventum.

NON II. Nihilo segniis res suas ordinavit Iyonias,  
Valachosq; ad fortitudinem accedit, multa præ-  
fatus de libertate, quæ non denuntia hactenus, sed  
pæne oppressa à barbaris esset. Igitur erigerent se  
& rectè de proposito existimatent, animosq; cape-  
rent viris dignos, persuasi, autore se victoriam re-  
portatueros. \*

\* Extat Ivonia concio ad Senatum Valachia apud  
Script. Hist. Val. p. 31. 32. est q; ea non quidem ingenii,  
sed spiritus militaris plena, & haud dubie plus au-  
dacie, quam prudentie illa continetur. Nil fermè in-  
geminat, nisi odium servitutis: nec cogitat de eventu  
imminentium vicissitudinum: de parandis armis, de  
instruenda acie multus sermo est. At non estimat suas  
vires, multo minus, cum quo hostes futura sit, hoc

est, non cum regulo, qualis ipse erat, sed cum potentissimo pertinacissimoq; imperatore, qui ab Euphrate ad Danubium usq; tot gentium auxilia accire posset: Ipse vero à finitimiis nec copias, nec pecuniam expectare audebat: Poloni quietem, non bellum optabant: Henricus insuper Polonorum Rex fœdere prohiberi se ad summittendum militem dicebat, script. bell. Jvgn. p.36. Unum in Cosacis præsidium collocabat, sed minime tanto hosti sustinendo suffecturum, vid ib. p.37.

12. Nil renuebant Valachi, populus alioqui mobilis, & factionibus asuetus. Addebat fiduciam Cosaci,\* Duce Suiercevio magnis itineribus à Borysthene, auxiliatum profecti, jamq; cum Jvonia conjungere vires animosq; parati. Dici non potest, quantus horum ardor, quanta alacritas fuerit. Valachis salutem, sibi prædas, hosti clades mutua bellandi societate paciscebantur.

\* Duo hic tradenda sunt, & nomen Cosacorum, & ingenium. De illo anno at Reinboldius Heidensteinius denotare viarum latronem, rer. Pol. l. XII. de hoc præter Piasecum, idem testatur: post hos personatus Marinius de scop. Polon. Job. Frid. Popping. Orb. illustrat. p. 393. & qui novissimè res belli statusque Polonici descripsit anonymous p. 147. ed. Norimb. A. 1666. Gens ista, si ulla alia, prædarum studiosissima est, temeritate, audacia, licentia immanissimos latrones imitatur. Olim Reipublicæ Polonice cives, nunc desertores facti, autore primum Chmiel- neczkyo,

neczkyo, quem A. 1649. proditorem patriæ judicatum accepimus. Hodie sunt in clientela Turcarum, & Tataris juncti fœdissimas saepe in Poloniam irruptiones faciunt. Quanquam in universum omnes nolunt teneri obsequio Turcarum, præsertim Hanenkamœ factionis, qui non parùm hæc tenus obſtiterunt conatibus Doroszenkanis. Loca, quæ incolunt, sive paludosa, sive montana, eoque fere inaccessa sunt. Olim cum Polonorum hostibus, nunc cum ipsis Polonis bella gerunt. Nec tamen inficias iverim, jam tum superiori seculo indicia præcipitis licentia prodiſſe. Nam ut apud Goreciūm est p. 38. inſcio Henrico Polonorū rege, perinde ac si jure ſuo regerentur, Vǎlachis ſuppétias tulerunt. Idem obſervat Heidenſteinius, atate Stephani regis erupiſſe proterviam gentis, quod ſpreta reipublicæ autoritate, non legibus, ſed ſua libidine cuncta facerent. Nostro tempore optamus, ut vario præcipitiq; ingenio abſtant, & redeant ad corporis ſocietatem, unde receſſerunt. Rex regniq; ordines hic Venetos imitabuntur, qut ut Morlacos, ita ipſi Cosacos, ſi diligentiam adhibuerint, comitate & præmiis ad obsequium reducent.

13. Nil Jvoniæ reliquum fortuna fecerat, qvām ut juſto prælio periclitaretur incertæ ſalutis even-tum, & aut gloriōſè vinceret, aut ignominiosè moreretur. Res qvippe jam eò redierat, ut Turcæ infestas cohortes immiſſuri, trajicerent Moldavam \* amnem. Cujus adventus fama cum perfer-

retur, ex improviso castra hostis adortus, plurimos  
nil tale timentes oppresit, reliquos tetrore latè edi-  
to fugavit. \*\* Neque eo seculis exciti in auxilium  
Suercevii velites fortissimè exceperunt Turcarum  
impetus, & non modò irruentes strenue repule-  
runt, sed etiam instaurandæ pugnæ intentos hastis  
sclopetisq; ita disturbarunt, ut, qvum nec colli-  
gere se, nec reparare aciem possent, magno nu-  
mero caderent, capti velut pecudes frustillatim  
concerperentur. His ex sententia gestis, socii in  
Valachiam ulteriorem \*\*\* movent, urbesq; &  
oppida magna vi diripiunt, nullum vel fœdisimæ  
crudelitatis exemplum prætermittentes. Selymus  
accepto de hostium successibus nuncio, fermè  
Graciæ timebat, \*\*\*\* presentemque vicem ita  
dolebat, ut simul cogitaret de futuris. Itaque suos  
viribus & supplementis auctos redire ad signa, &  
transire Danubium jubet. Nec moram facit Jvo-  
nias, accersitq; Czarnievieciū castri Chocimien-  
sis præfectum, \*\*\*\*\* ut in tanto gloriae victoria-  
rumq; cursu adesset sibi, & munus præfeci militaris  
obiret, unde & dignitatem, & præmia, & prædas am-  
plissimas adepturus esset. Venit Czarnieviecius, &  
ab eo tempore omnis fortuna destituit Jvoniam. Ille  
enim Turcarum pollicitationibus corruptus, primò  
transitum Danubij permisit, mox contra datam fidē  
desertor factus, hostibus se junxit, copiæ, qvas duxit,  
sive subita defectione perculsa, sive viribus suis dif-  
fusa,

fissæ, nec fugere, nec pugnare voluerint. Hinc partim ab hostibus, partim à suis cæsæ protritæq; sunt, ut sanguis toto campo manaret, cadaverumq; tumuli passim accumularentur. Jam fera omnia remedia videbat noster, cōsilia vel ex desperatione, vel ex deditione capienda erant, præsertim qvum sive cœlesti ultione excusi obseqvii, sive perturbatione qvadā ingenii castra sua iniquissimo loco metaretur.\*\*\*\*\*  
In ea rerum commutatione, Jvonias cum suos siti sudoreq; confectos cerneret, necessitati cessit, certis conditionibus vitæ incolumitatem sibi suisq; pactus.  
Sed vix è castris excesserat, cum Turcæ jurisjurandi Septies repetiti immemoris, \*\*\*\*\* in obvios effusi, omnes Valachos funestissima cæde confecerunt, Jvoniae caput præciderunt, truncum bestiis objecerunt, & quasi honorem ac principale nomen quietemque non caperet, nulla venia dignum arbitrati, gladio expiandum nefas censuerunt.

\* Hinc Moldavia nomen rectè arcessitur. Oritur hic amnis ex Dacia montibus, & inde longius labitur, Moldaviamq; interluit.  
Vid. aut. Hist. Pal. p. II. & Tbuau. A. 1574.

\*\* Scriptor belli Jvon. p. 49. Faustum illud præsum exploratoribus debuit, qvì de rebus Turcarum percontati, nunciarunt idoneū tempus esse invadendi incautos. Erantq; isti periti Turcica lingue, & adeò ad dolum militarem instructiores. Mox & id erat è commodo Jvonia, quod emissi speculatores Turcarum captivi ducerentur. Vid. Id. p. 47. 48.

\*\*\* Aut. Hist. Jvon. p. 49. 50. Soli evaserunt Palatinus Vla-  
chæ Transalpinae, & frater ejus. Ut propè hi victores excesserint  
victorum modum, quod postea à Turcis parsævitia repensatum est.

Gentes

Gentes enim hec ut parum exulta sunt ad humanitatem, ita bellis  
jure sape utuntur, cum non est ratio hujus exercendi.

\*\*\*\* Quam supra Transalpinam, nunc ulteriore Valachiam  
dicimus, de qua multa industria tradidit Heidensteinus rer. Pol.  
l. XII. p. 359. Unde cognitum pono, Valachiam ciceriorem esse eam,  
cui regende impositus fuit Iovias, ulteriorem ab illa Danubio  
discerni, & per quandam loquendi eminentiam dici Valachiare.  
Valachorum nomen ignorat antiquitas, populus alioqui sat vetustus,  
& olim, quum coaluisset cum Imperio Romanorum, sive sub Dacis,  
sive sub Getis est comprehensus, quem nobilitavit expeditio Imp.  
Trajani. Ab Imperio Germanico semper separatas nationes habuit:  
Sig. ad sequiora tempora perveniamus, Valachia primò Hungarie,  
deinde Turcis, mox per vices iterum Hungariae Poloniaeque facta  
tributaria est. Thuan. ad A. 1574. Hodie utraq. solo Turcarum iure  
continetur regiturq. Script. Hist. Valach. p. 61.

\*\*\*\* Nomen integrum, Jeremias Czarnavicius Barcabalus.  
Aut. Hist. Val. p. 79. turpis sui Ducis proditor & transfuga, & mox  
à dolo ad perfidiam conversus, id. p. 84. 91. Antea fuit prefectus  
Chocimi, aut. hist. Val. p. 25. Alii Chocimum signant, ut Heidenstein  
rer. Pol. l. 12. si munitum dicunt, scriptori bell. Juv. id pro conditione  
munitionum illius loci intelligendum docet Heidensteinus.

\*\*\*\*\* Juvias in extremo rerum discrimine non est functus  
officio boni Imperatoris, qui vel maxime ex Vegetii precepto in idin-  
tentus esse debet, ut castra metetur iis locis, quibus aquandipabulan-  
dig. copia est, in qua parte peccavit noster. Script. bell. Juv. p. 100.  
& 104. eamq. circumstantiam præterit Thuanus d. l. Alioqui conf.  
ad rationes & instituta militaria Veg. l. 1. c. 21. Scip. Amirat. disf.  
Polit. ad Tac. l. 19. disc. 9.

\*\*\*\*\* Hinc accipe Turcarum animos, qui aliquando servant  
fidem, interdum violant: piget immorari exemplis. Neg. tamen  
diffiteri ausim id de rebellibus potissimum interpretari Turcas. At re-  
belles quoq. dum quæsito argumentorum colore se pro liberis gerant,  
baud dubie pactorum promissorumq. jurato initorum sunt capaces.  
Quod non ita pridè in simili causa apud animū expendere debuisset,  
qui adversus Reinkingium scripsit Laurentius à Drift. in  
antidecal. prop. 11. art. 5.